



Est quidem mortalium mortalitas,
Ut semper incepisse CLIMACTERIUM
Videantur, & mortis subinde cœcitas
Septena vix moretur hæc mysteria.

Sed interim mirantur experientiam,
Quos nescio quis siderum lusus capit,
Ut quantitati reddere efficaciam
Conentur & Numeris notent Tempus suis.
Habet suas Phœbe vicissitudines,
Plantasq; nec fixis modo imperiis premit;
Sed imminet quoq; vertici viventium:
Et adde quod Natura mutari cupit
Septemq; raro annos sibi similis manet,
Ac inde quædam profluit necessitas,
Variare quæ stato solet vitam die.

Sanè quod ista nunc ago curatius,
NATALIS ô PATER redux facit Tuus,
BIS SENA qui duabus auges messibus
Tua LUSTRA, nunc bene additurus tertiam.
O si liceret brachiis junctum Tuis
In fausta tandem vota me resolvere,
Lingvamq; tanto tradere officio meam!
Ast utriusq; nos tenet provincia
Nostræq; spartæ rara dantur otia

SA.